



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Svmma Practica Theologiae Mysticae**

**Gelen, Victor**

**Coloniae Agrippinae, 1652**

Articulus Quintus. An aliqui Sanctorum in hac vita clarè viderint essentiam Dei.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9766**

tionis corporalis, omnis amor læsius dici possit, ] in raptu autem, vel Ecstasi, maior sit immutatio, & læsio, & quædã ad sacratissimas illas personas indignitas; nihilominus tamen quia mystici, & veri raptus, & Ecstases, superexcellentiſſimi diuini amoris, atque amicitia præclara sunt signa, idè ab omnibus iure merito piè veneranda sunt.

Est autem (vt vel modicum de his dicamus) verus, diuinus, & mysticus [raptus, eleuatio hominis à spiritu diuino a ad aliqua supernaturalia videnda, cū violentia quadã, & abstractione à sensibus.] [Ecstasis verò est, eleuatio hominis à spiritu diuino ad aliqua supernaturalia videnda, per simplicem b excessum à seipſo; secundum quem aliquis extra suam ordinationem ponitur, absque violentia.] de visionibus porrò, reuelationibus, & locutionibus veris, & falsis, malis, & bonis, præ cæteris mysticis prolixè, & ad praxin vtiliter tractat Ioannes à Cruce. c miracula d autem sunt, quando Deus per orationem, aut merita alicuius Sancti facit aliqua opera, quæ ordinem, & virtutem naturæ excedunt: siue hoc fiat circa substantias separatas, siue creaturas rationales, siue irracionales. Cæterum ne potius fragmenta quædam, quam singula, quæ de mysticorum operationibus præstantioribus, tum internis, tum externis, in sanctorum vitis continentur, adferamus; hoc loco sectatorem bonorum operū,

tanquam apem argumentosam ad eas legendas, & venerandas, remittimus; & consequenter ac finaliter quærimus,

*An aliqui Sanctorum in hac vita clarè viderint Essentiam Dei.*

ARTICVLVS QVINTVS.

**M**Aneat apud Sacros Doctores eiusmodi visionis assertio; hoc tantum dixisse sufficiat, mysticis valdè eminentibus, & quod [vix fcedimus] dictū videri; hominem in hac vita, vel in actu transeunte, clarè ipsam Dei Essentiam vidisse. quantò enim amplius profunda Dei, & scrutantur, & degustant; tantò minus decens esse, ipsis videretur, vt qui à gratia Dei per peccatum separari potest, aut dum peregrinatur à Domino, etiam iustus in die g septies cadit: beatorum gloria, vel ad momentum perfruatur. Cæterum cum Beatissima Virgo MARIA, nunquam, vel minima peccati labe infecta fuerit, videretur piè loquendo, non minus, si non magis (illi) quam alteri alicui Sanctorum Viatorum, istiusmodi clara visio in hac vita concedenda. & quidem hisce paucis contenti, ad statum claræ visionis transeamus; de quo etiam pauciora dicemus, cum, quantò magis ad suprema pertingimus, tantò minus inueniamus verba per quæ dicamus, cum talia sint, quæ non liceat homini loqui; sed num maximè Deo debeat laus, & silentium.

STA-

a vt colligitur ex S. Th. 2. 2. q. 175. b ibid c Ascens. Mont. Carm. l. 2. per totum & Thom. à IESV de diu. ora. l. 2. c. 10. d vt colligitur ex S. Th. 3. p. q. 44. & 45. e S. Th. 1. p. q. 12. a. 11. & 22. q. 175. a. 2. ad 1. f Thom. à IESV de Cont. l. 5. c. 14. g Prou. 24.